DE

VOCATIVI USU PLAUTINO TERENTIANOQUE.

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUILELMUS FERGER.

DISSERTATIO AB ORDINE PHILOSOPHORUM DIE 1. MENS. AUG.
ANNI MDCCCLXXXV APPROBATA.

ARGENTORATI
J. H. ED. HEITZ (HEITZ ET MUENDEL SOCII).
MDCCCLXXXIX.

Quaestionem de vocativi usu ita institui, ut singulis vocativi Plautini partibus quae e Terentii fabulis respondent adderem. In tractandis iis locis, de quorum emendatione hominum doctorum sententiae discedunt, eos tantum versus adtuli, qui nondum certo restituti sunt, eos silentio praeterii versus, quos recentissimi editores (Goetz, Loewe, Schoell, Brix, Lorenz, alii) aut ipsi sine dubio recte emendaverunt aut ab aliis emendatos in textum receperunt. Primo mihi in animo fuit in ceterorum quoque comicorum et tragicorum poetarum vocativum inquirere, sed cum saepissime, ut male sunt tradita poetarum fragmenta, certi quidquam dici non posse intellegerem, pauca, quae e fragmentis collegi, in appendicem contuli.

I. De formis vocativi.

§ 1.

De forma vocativi secundae declinationis in -us exeunte.

Cum forma vocativi primae, tertiae — de qua infra agemus -quartae, quintae declinationis in Plauti fabulis eadem sit atque illa, qua posterioris aetatis scriptores utuntur, pauca substantiva secundae declinationis, quae in *-us* exeunt, hanc nominativi formam in vocativo quoque retinent. Plerumque metri ratio id postulat, velut

S. 763 . . . . *tene tu. interim*
Meus óculus, da mihi sávium, dum illíc bibit.[1]

[1] Kuehnerus ‚Ausführliche Grammatik' I, p. 282 sic interpungit: *tene. tu interim* sqq. Sed primum vocativis, qui nominativi formam servant, uno Cistellariae loco I, 1, $^{53}/_{34}$ excepto, ubi non ut in nostro versu imperativus sequitur, pronomen *tu* non additur. Deinde cum in versu 758 legamus *tene, tibicen,* 762 *tene tu hoc,* in versu 763 quoque *tene tu* praeferendum est. Minoris momenti illud est, quod Stephanium usque ad v. 757 sermonis particeps est, quamobrem non est, cur Sagarinus in v. 763 meretricem tibicini vehementer pronomine tu adiecto opponat. Quod Kuehnerus putat *meus oculus* attributum esse praedicativum (prädikatives Attribut) pronominis *tu,* eius sententia perversa est. De attributo praedicativo cogitare possis in tali versu qualis est Mo. v. 15: *Tu urbanus vero scurra, deliciae popli, Rus tu mihi obiectas?* germanice: „Du, der du . . . . bist, du wirfst mir das Land vor?" Similis locus est Mr. v. 574
Jeiúnitatis plénus, anima foétida,
Senéx hirquosus, tu aúsculere múlierem?

As. 691 *Mi Libáne, ocellus aúreus, donúm decusque amóris,*[1]
Amábo, faciam quód voles, da istúc argentum nóbis.

Ci. I 1,53 . . . . . . *sed quid tu inter istaec verba,*
Meus óculus, mea Selénium? numquam égo te tristiórem.

Po. 366 *Méus ocellus, meúm labellum, méa salus, meum sávium.*

Po. 394 *'Oculus huius, líppitudo méa, mel huius, fél meum.*

Po. 390 secundum Goetzii lectionem, qua ictus parum probabilis *huiús* efficitur:

Huiús colustra, huiús dulciculus cáseus, mastígia.

B. 28 *Mél meum, suávitudó, cibus gaúdinm.* Cf. Mr. 976.

Po. 367:

Méum mel, meum cor, méa colustra, méus molliculus cáseus

Plautus, vel quia *meus ocellus* (in v. 366) antecessit, vel ut formam *casee* evitaret, nominativi formam retinuit. Idem Ca. I 49, 50

Sine véro amari té, meus festús dies,
Meus púllus passer, méa columba, mí lepus

metro admittente *mi pulle passer* tamen, ut concentus servaretur, *meus pullus passer* scribere maluit.

At As. 654 . . . . . . ⧺ *Di te servassint semper,*[2]
Custós erilis, décus popli, thensaúrus copiárum

nullam causam video, qua adductus poeta pro *thensaure* scripserit *thensaurus*. Idem dicendum est de Cp. v. 870: *Núnc tu mihi places.* ⧺ *Abi stultus, séro post tempús venis.*

Accedamus ad As. v. 664:

Da, méus ocellus, méa rosa, mi ánime, mea volúptas,
Leonida, argentum mihi.

[1] In hoc quoque versu Kuehnerus l. l. *ocellus aureus* e. q. s. attributa praedicativa pronominis *tu* arbitratur, quod subaudiendum putat.

[2] Kuehnerus l. l. sic interpungit: *di te servassint semper; custos erilis* sq. ‚exclamationes' esse arbitratus. Qui quod, ut interpretationem suam probet, Ter. Phorm. 324 affert, iamdudum Fleckeisenus vidit scribendum esse *o, vir fortis et amicu's.* Quisquis integro iudicio nostrum locum legerit, sine dubio *custos erilis* e. q. s ut vocativos ad *te* referet. Satis enim mirum esset, si hae voces quasi inter caelum et terram penderent. Sed etsiamsi Plautus ita, ut Kuehnerus vult, interpunxisset, equidem *custos erilis* sq. vocativos putarem ad imperativum *hic pone* (657) pertinentes.

ubi homines docti iam dudum *mi anime* corruptum esse intellexerunt. Primum enim *mi anime*, ubicumque scriptum legitur, tres efficit syllabas, quod demonstrant versus hi :

As. 941 *'Intro eamus pótius : sequere hac mé, mi anime. # Ego veró sequor.*

B. 81 *'Ubi ego tum accubem? # 'Apud me, mi anime : ut lépidus cum lepida áccubet.*

R. 1265 *'Iterum mi istaec ómnia itera, mi ánime, mi Trachálio,*

deinde Plautum ob concentum nominativi forma usum esse verisimile est. Itaque rectissime Pylades *mi anime* mutavit in *meus animus.*

Item emendatione eget Ml. v. 1330 :

'O mei oculi, ó mi anime. # 'Obsecro, tene múlierem.

Fuit, cum poetam *o meus oculus*, *o meus animus* dedisse persuasum haberem ; sed quoniam nusquam *o* ante nominativi formam positum est, Muelleri correctionem probo, qui tertium vocativum *o meum cor* adicit. *Meum cor* legimus Po. 367, *cor meum* B. 27. Sed vix recte Muellerus *oculi* toleravit, cum Plautus de singulari persona semper (cf. S. 764 Ci. I 1,54 Cu. 203 Po. 394) singulari huius vocabuli numero utatur. Quamobrem *oculi* in *ocule* cum Lorenzio (ad Ps. 174) mutato versum sic restituamus necesse est :

'O mei ocule, ó mi ánime, ⟨ó meum cor⟩. # 'Obsecro, tene múlierem.

Restat, ut agam de vv. Al. 648 Mo. 1135 Tu. 945. Atque Al. 648 libri sic praebent :

Vah, scelestus, quam benigne, ut ne abstulisse intellegam.

Quaeritur, quae structura particulam *vah* sequi soleat. Aut *vah* uno loco excepto solum sine vocativo ponitur, aut totum enuntiatum sequitur :

Tr. 1137 *Vah. # Quid est?* Cu. 449 *Vah. # Quid mirare?*

Ml. 984 *Víde modo. # Vah délicatu's, quae te tamquam oculós amet.*

Ps. 208 *Táce. # Quid est? # Vah mále morigeru's, quód sermoni huic óbsonas.*

Am. 580 *Vah, apage te a me.*

Vocativus post *vah* occurrit B. 879 :

Quid fit? # Ducentis Phílippis pepigi. # Váh, Salus,
Me servavisti. . . .

Putaverit quis *scelestus* idem esse ac *scelestus es (scelestu's)*; quod si statuimus facile est ad intellegendum, ea, quae sequuntur, *quam benigne*, male legi; praeterea Euclionis animo concitato *scelestu's* minime accommodatum esse quivis concedet. Cum Plautus exceptis As. v. 655 Cp. v. 870 aut metri aut concentus ratione adductus vocativi formam in *-us* exeuntem admittat, omnibus autem locis (Al. 437 Am. 1025 As. 424, 476 Pe. 751 Po. 798 R. 1015) dicat *sceleste* neque ulla re quin in versu, de quo agitur, *sceleste* scriberet prohiberetur, fortasse erit, qui *sceleste* restituendum esse coniciat. Quamquam mihi librorum lectio recte tradita esse videtur. Euclio enim ad spectatores conversus dicit: *vah, scelestus, quam benigne* sqq. («Ha, der Verbrecher, wie gütig, damit», u. s. w.), ac verbis *age age, rursum ostende huc manum dexteram* item atque in v. 646 verbis *agedum, excutedum pallium* ad Strobilum se convertit. Quae interpretatio praeterea confirmatur, *te* ante *abstulisse* omisso.

Mo. 1135.

Séd tu istuc quid cónfugisti in áram ínscitíssumus?

Pylades eumque secuti Ussingius et Lorenzius, ut hiatum vitarent, post *aram* addiderunt *hanc*, id quod propter pronomen *istuc* reiciet, quicumque usum pronominum demonstrativorum Plautinum noverit. Ritschelii *hinc* supervacaneum est. Quaeritur, quid sit *inscitissumus*. Ussingius nominativum pro vocativo esse dicit, quae sententia eo refellitur, quod Plautus in superlativorum vocativo non nisi formis in *-e* exeuntibus utitur:

Mr. 211 *Méae me emisse ancíllam matri. ⁜ Nón taces, stultíssume?*

Ps. 228 *Súbruperes patrí. ⁜ Súbruperet híc patri, audacíssume?*

Mn. 819 *'In eas aedis íntulisse ubi hábitas, insaníssume?*

R. 722 *Fáciam et pendentem íncursabo púgnis, periuríssume.*

cf. *periurissume* R. 1375, *sacrilegissume* R. 706.

Am. 561 *Sceléstissume, aúdes mihí praedicáre id.*

Al. 633. *Vérberabilíssume, etiam rógitas? non fur, séd trifur.*

Inscitissumus igitur vocativus esse non potest. Itaque alia via ad locum explicandum ineunda est. Quonam iure Callidamates Tranionem inscitissumum nominat? Non Tranio, sed Callidamates inscitissumus est, quod, dum servus Theopropidem fallit, ipse in aedibus ebrius dormivit neque novit, quae interea facta sint.

Quam ob rem si *inscitissumus* Tranioni tribuerimus et scripserimus:

Séd tu istuc quid cónfugisti in áram? # 'Inscitíssumu's : Adveniens perterruit me. . . .

non solum sententiae satisfaciemus, sed etiam id assequemur, ut hiatu in personarum commutatione minus offendamur.

Tu. 945.

Iam hércle cum magnó ⟨malo⟩ tu vápula, vir strénuos.

Primo adspectu suspicionen adfert *strenuos*. Nec tamen *strenuus* in *strenŭē* ita mutandum est, ut hoc ad *vapula* referatur. Nam primum cum verba *cum magno malo* fere adverbii vice fungantur, *strenue* supervacaneum est; deinde *strenue* imperativo *vapula* adiungi nequit, qui haec vox passivam vim habet, verba autem, quibus illud additur, activa sunt, id quod demonstrant hi versus:

B. 445 *Ne áttigas puerum ístac caussa, quándo fecit strénue.*
Ml. 458 *Nóstra erilis cóncubina. vín tu f a c e r e hoc strénue?*
Mn. 1037 *Cúm viatico: íd tibi iam huc ádferam. # Adfer sténue.*
Po. 405 *Móx dabo, quom ab ré divina rédiero. # I ergo strénue.*
R. 493 *Nam equidém te nequeo cónsequi tam strénue.*
Tr. 1102 *Strenue curre in Piraeum*, Ml. 1373 *ire melius strenue.*

Accedit quod non solum vocativus *vir* nusquam nisi uno loco a nostro diverso R. 105

Sed útrum tu masne an fémina's, qui illúm patrem
Vocés? # Vir sum equidem. Quaére, vir, porró patrem

sine attributo legitur, sed etiam sententiarum conexu in illo versu adiectivum contumeliosam notionem continens desideratur. Luce igitur clarius est, *strenŭē* stare non posse. Res autem ita se habere videtur. Cum *strenuus*, ubicumque legimus (E. 442 strenuior, Ps. 697, 1128, R. 313, Tr. 1036, Tu. 493), bonum ac fortem hominem significet, neque causa sit, cur librariorum errore *strenuos* (B *strenuis*) in textum irrepisse putemus, sumendum est, *strenuos* nostro loco ironice dictum esse. De forma adiectivi non habeo, quae apte proferam. An codicis B lectio *strenuis,* quae via ineunda sit, demonstrat? Saepissime enim in libris pro I scriptum est E, ita ut conicere liceat, formam genuinam fuisse *strenuĕ*, inde autem errore et neglegentia libra-

riorum formas *strenui*, *strenuis* (in archetypo) *strenuus* (in libris C D) ortas esse.

2. In Terentii fabulis vocativus usitatam formam in *-e* exeuntem exhibet. Uno tantum loco Eun. 560 libri praebent :

Quid taces? ⫲ O festus dies, hominis amice, salve.

Bentleius coniecit :

Quid dices? ⫲ O festus dies! o meus amicus! salve.

Quam emendationem quamvis ingeniosam certam esse nemo dicere audebit. Terentius enim plerumque[1] *salve* cum uno vocativo coniungit, numquam cum duobus vocativis ita, ut utrique particula *o* addita sit. Deinde Bentleius, quo suavius numeri fluerent, codicum scripturam *quid taces* mutavit in *quid dices*, quamquam meo quidem iudicio *taces* melius ad locum quadrat quam futurum *dices*. Apparet igitur versum nondum satis certo restitutum esse.

§ 2.

De formis puer, puere.

Plautum *puer* vocativi forma non uti rectissime iam statuit C. F. W. Muellerus, Nachtr. zur Plautin. Pros. p. 139 sq. Atque de *puere* forma certis vel librorum vel grammaticorum testimoniis his locis constat :

a) in exitu versuum: As. 382, Pe. 792, Ps. 242, 249.

b) in mediis versibus

α. ante consonantem, ubi metro requiritur : Cu. 75, Mo. 965, 990, 991, Ps. 170, 252 (secundum Muelleri emendationem *vorte hac puere te; te puere* libri ; *te puer* Ritschl), Mr. 910, Mo. 947 (*puere* A ; *puer* Pall.), Mo. 949 (*puere* A, cf. Gepp. Stud. II p. 79 ; *puer* Pall.)

β. ante vocalem : Pe. 771, Ps. 241, As. 891, Mr. 930 (C D Prisc., *puer* B), Mo. 308 (Prisc., codd. *puer*).

[1] Cfr. infra.

Deinde licet memoriae testimonio careat, tamen metro postulante iam diu restituta est trisyllaba forma B. 577, Mo. 843, atque, quamvis metro non requiratur, sine dubio restituenda est Mr. 921 cum Muellero, cui Goetzius obsequi non ausus est; denique Tu. 363 Schoellius recte cum eodem Muellero Ambrosiani scripturae *soleas cedo puer* praetulit Palatinorum memoriam *soleas cedo mihi* (cf. Baier, De Plauti fabularum recensionibus Ambrosiana et Palatina commentatio critica, p. 30 sq.).

Forma *puer* metro postulante occurrit Mr. 976:

Própterea igitur tu mercatu's, nóvos amator, vétus puer?

2. In Terentii fabularum contextu ter legimus *puer*, semel in exitu versus recte:

Ad. 940 *Fac: prómisi ego illis. ⫲ Prómisti autem? dé te largitór, puer*

bis, ut metrum evincit, falso pro *puere:*

Eun. 624 *Vóluit facere cóntra huic aegre: ‚heus' ínquit, puer, Pámphilum.*

Hec. 719 *Faciam út mones. eho púer, curre ad Bácchidem hanc.*

atque priore loco Erasmus, altero Umpfenbachius cum Brixio, nisi memoria fallit, *puere* recte restituerunt.

§ 3.

De vocativi tertiae declinationis forma.

1. Nomina propria tertiae declinationis, quae exeunt in *-es*, nominativi formam in vocativo retinent. Atque in codicibus semper *es* traditur exceptis Tr. 617, Mo. 1130.

Tr. 617 *'O ere Charmidé, quom apsenti hic túa res distrahitúr tibi.*

Ritschelius in prima editione libros secutus *Charmide* scripsit, in altera rectam formam *Charmides* restituit.

Mo. 1130 *Cállidamate, dí te ament: de céna facio grátiam.*

Cum ceteris locis (Mo. 341, 372) *Callidamates* habeamus, dubium non est, quin hic quoque *Callidamate[s]* scribendum sit. Ml. 1054 Hermanno suadente Ritschelius scripsit:

Age, mi 'Achille, fiat, quod te oro: serva íllam, pulcer, púlcre quamquam codices praebent *achilles (B achillis)*, quam scripturam summo iure recentiores editores servant.

Restat ut mentionem faciam vocativi *Harpage* Ps. 665:

Númquid vis? ⫲ Dormítum ut abeas. ⫲ 'Abeo. ⫲ Atque audin, Hárpage?

Quae forma, ut Muelleri verbis utar, metaplasmus est.[1]

2. In libris Terentianis modo *Chremes*, modo *Chreme* legimus. Dubitari tamen non potest, quin Umpfenbachius rectissime (cf. mi *Laches* Hec. 206, 232, 732) omnibus locis *Chremes* restituerit. Atque And. 783 typographorum errore *Chreme* in textum irrepsisse ipse Umpfenbachius in addendis et corrigendis adnotat.

II. De usu vocativi.

§ 1.

De vocativo sine interiectione *o* et pronominibus *mi mea meum noster* posito.

a) Vocativo cum interiectione *o* et *pronominibus possessivis* (*mi mea meum noster*) non coniuncto Plautus et Terentius item ac nos in sermone tranquillo utuntur, ubi is, qui loquitur, vel animi affectione caret vel animi motum verbis non manifestat. Excipiendi tamen ii sunt versus, in quibus voces contumeliosae, velut *sceleste*, *improbe*, *impure*, quae semper ex animi commotione oriuntur, leguntur. Imprimis hoc valet de vocativis cum genetivo coniunctis, quorum nonnullos enumerare operae pretium esse videtur.

1. Cu. 614 *Mé reposcis? ⫲ Quam áb lenone abduxisti hodie, scélus viri.*

cf. *scelus viri* Tu. 621, *hallex viri* Po. 1310.

As. 473. *Flagítium hóminis, da, óbsecro, argentum huic, ne male loquátur.*

[1] Videtur autem poeta hoc metaplasmo usus esse versus clausula cogente. Simile quoddam fit
Mo. 560 *Sed Philolachetis eccum servom Tranium;*
hic servus omnibus ceteris locis Tranio appellatur.

cf. *flagitium hominis* item in initio versus Mn. 489, 709.[1]

B. 829 *Ego ádeo numquam accípiam. # Dic, scelerum caput.*
Scelerum caput item in exitu versus. Ml. 494, R. 1098.

cf. porro *stimulorum seges* Al. 45, *gymnasium flagri, custos carceris* As. 297, *fons viti* Tu. 612, *adulescentum exitium* As. 133, *pernicies adulescentum* Ps. 364, *fraus popli* Ps. 365, *deliciae popli* Mo. 15, *flagiti flagrantia* R. 733, *audaciai columen* Am. 367.

Ca. III 4, 4 *At hércle ego ad te. Quíd ais, vir minumí preti?*
cf. *senex minumi preti* B 444.

B 904 *Ne súpplicare, homo níhili, tibi nos cénseas.*
Homo nihili B. 1188, Tr. 1017.

Tu. 333 *Quem iám revocabas, ínprobe*[2] *nihilíque homo?*
cf. *nihili*[3] *cana culex* Ca. II 3,25.

Contumeliosam notionem vocativus non habet in his versibus:

As. 655 *Custós erilis, décus popli, thensaúrus copiarum,*
Salus ínterioris córporis amórisque imperátor.

Pe. 204 *Paégnium, deliciae pueri, sálve. quid agis? út vales?*

Ps. 227 *Phoenícium. tibi ego haéc loquor, delíciae summatúm virum.*

Ml. 1055 *Expróme benignum ex te íngenium urbícape, occisor régum.*[4]

Ex his quae congessi exemplis apparet vocativum, nisi metro respuitur, genetivo praecedere.

2. E Terentii fabulis huc pertinent:

Eun. 696 *Monstrum hóminis, non dictúru's? # Venit Chaérea.*

Phorm. 374 *Bonórum extortor, légum contortór. # Geta.*

Phorm. 287 *Bone cústos, salve, cólumen vero fámiliae.*

[1] Cfr. exclamationes:
Ca. III, 2, 22 *Quási catillatúm. Flagitium hóminis, qui dixit mihi.*
Ca. II, 1, 7 . . . . *quando is mi et filio adversatur suo, flagitium illud hominis.*
Po. 273 *Mónstrum mulieris: tantilla tánta verba fúnditat*

[2] De ictu *inprobi* confer, quae Brixius ad Ml. 27 adnotavit.

[3] *Nihili* sine substantivo legimus
As. 472 *Impúre, nihili, nón vides irásci?* || *Perge pórro.* cf. Ca. II, 3, 31.

[4] *O* ante vocativum positum est:
As. 298 *'O catenarúm colone.* || *O virgarum lascivia.*
S. 618 *'Ubi accubes.* || *Sané faciundum cénseo.* || *O lux óppidi.*

b) Tum hoc loco vocativus ut ita dicam anonymus *quisquis es*[1] commemorandus est. Ac discerni debent versus, in quibus *quisquis es* sine altero vocativo legitur, ab iis, in quibus vocativo alicui additum est.

1. In Plauti fabulis:

α) Mn. 293 *Qui míhi molestu's hómini ignoto, quísquis es.*

Ml. 427 *Quís ego sum igitur, si húnc ignoras? # Míhi odiosu's, quísquis es.*

Ml. 454 *Te húc, si omisero, íntro ituram. # Ví me cogis, quísquis es.*

Po. 1039 *O mí popularis, sálve. # Et tu edepol, quísquis es.*

Tu. 119 *'Odio med énicas míseram, quisquis es.*[2]

R. 1146 *Túm tibi hercle déos iratos ésse oportet, quísquis es.*

Ps. 605 *Quísquis es, conpéndium ego te fácere pultandí volo.*

R. 108 *Tibí quidem hercle, quísquis es, magnúm malum.*

Ps. 250/51 . . . . . . # *Juppiter te.*
Perdat, quisquis és. # Te volo. # 'At vos ego ámbos.

R. 955 *Fidus éro, quisquis es. # Aúdi.*

Emendatione indiget Mn. 1007:

Míttite istunc. # 'Obsecro te, quisquis, operam mi út duis.

Cum libri praebeant *quísquis es* (*es* om. B) *operam mihi ut des* (*vides* C D) scribendum est . . . . *operam mihi ut des, quisquis es*, vel *mi ut des operam, quisquis es* (cf. Olsen, Quaest. Plautinarum de verbo substantivo specimen p. 36).

β) Mn. 1065 *'O adulescens, sálve qui me sérvavisti, quísquis es.*

Ci. II 3, 65/66 . . . . . # *Conteris.*
Tuá tu me oratióne, mulier, quísquis es.

Mn. 1021 *'At tibi di sempér, adulescens, quísquis es, faciánt bene*

R. 627 . . . . *te optestor, senex,*
Quisquis es. # Quin tu érgo omitte génua et quid sit mi éxpedi.

Ps. 1141 *Quísquis es, adulêscens, operam fác conpendi quaérere.*

[1] Cf. Prehn, Quaest. Plautin. de pronomin. indefin. p. 2.

[2] Seyffertus librorum scripturam retineri vult: *Enicas me miseram quisquis es.* Idem R. 944 sic scribit:
Enicas iam me odio, quisquis es.

Hoc loco *quisquis es* vocativo antecedit, cum ceteris eum sequatur.

2. In Terentii fabulis *quisquis es* occurrit nobis :

Phorm. 195 *Sta ílico. # Hem,*
Sátis pro imperio. quísquis es. # Geta. # 'Ipse est quem volui óbviam.

Ad. 320 . . . . *# Hem,*
Quísquis es, sine me. # 'Ego sum Sostrata. # 'Ubi east? te ipsam quaérito.

c) Sicut nos in vernacula lingua, si quem vocamus, saepe nomen proprium iteramus, ita apud Plautum eundem vocativum bis positum legimus :

1. Cu. 166 *Pálinure, Palinúre. # Eloquere, quíd est quod Palinurúm vocas?*

Mo. 373 *Callidamates, Callidamates, vígila. # Vigilo : Cédo bibam.*

Ml. 415 editores sic dant :

Palaéstrio, eho Palaéstrio. # Eho Scéledre, Sceledre, quíd vis?

(*Palaestrio o Palaestrio* PA. *o* Bb cum reliquis, nisi quod prius *o* om. D).

Eho igitur non est traditum, praeterea Plautus hanc interiectionem semper in initio enuntiati ponit (cf. p. 51) cumque *Palaestrio, o Palaestrio* ab usu Plautino alienum sit (cf. infra p. 32) scribendum esse *Palaestrio, Palaestrio* verisimile est.

Ad admonitionem et vituperationem augendam vocativus iteratur

Ml. 313 *Scéledre, Sceledre, quís homo in terra te álter est audácior?*

2. E Ter. fabulis commemoro :

Heaut. 348 *Verum hércle istuc est. Sýre, Syre inquam, heus heús, Syre.*

And. 859 *Hem Dromo, Dromo.*

Paucis disserendum est de vv. Tu. 425, 814. Quorum in priore, qui in libris talis est :

Non audes aliquod mihi dare munusculi?

Schoellius post *mihi* addidit *anime*, quia, ut ipsius verba afferam, aegre caremus in tali sententia aliqua blanditia. At Plautus verbis *savium dare* et similibus plerumque blanditias

non adiungit. Jam dudum Camerarius verum vidisse videtur, cum verba sic transponeret: *dáre mihí.*

Alter autem versus in codicibus sic traditus est:

Et tibi quidem hercle idem adtulit magnum malum.

Schoellius *infida* post *hercle* adiecit. At *infida* ad sententiam totius scaenae non quadrat, quoniam Callicles summa animi tranquillitate utitur (cf. 779) atque ancillam antea (in v. 812) — ironice nimirum — appellat verbis: *Tu bona ei custos fuisti.* Neque illud fortasse neglegendum est, quod per totam illam scaenam Callicles vocativum vitat. Quemadmodum versus sanari possit, certo dici nequit; fortasse poeta, in quam coniecturam incidit Guyetus, scripsit *idem ‹vir›*. Confer quaeso:

Ps. 303 *Périi: annorum léx me perdit quínavicenária.*
Métuont credere ómnes. ⧺ *Eademst míhi lex: metus credere.*

B. 1110 *Númquidnam ad fílium haec aégritudo áttinet?*
⧺ *'Admodum.* ⧺ *Idém mihi mórbus in péctorest.*

Am. 1077 ... ⧺ *Timeo totus, ita me increpuit Juppiter*; 1078 *sed quid tu foras egressa's?* ⧺ *Eadem nos formido timidas terrore inpulit.*

Cf. etiam Ps 18 S. 134.

§ 2.

De vocativo cum pronominibus possessivis *mi mea meum noster* coniuncto.

Vocativus cum pronominibus *mi mea meum noster* coniunctus sic est vertendus: «mein lieber . . . ., meine liebe . . . .,» id quod inde concludi potest, quod pronomina illa iis nominibus, quae animi aliquem affectum exprimunt, adduntur et imprimis in sermonibus amantium usurpantur. Quod ad collocationem adtinet, pronomina, si per metruml icet, ante nomen ponuntur, neque nisi metro repugnante nomen praecedit.

1.

a) Pronomina vocativo praecedunt:

Ml. 1054 *mi Achilles.*

R. 568, 867 *mi Charmides.*

Pe. 99 *mi Juppiter.*

As. 691 *mi Libane.*
As. 672 *mi Leonida.*
Mn. 382 *mi Menaechme.*
Po. 421 *mi Milphidisce.*
Ca. I 46 *mi Olympio.*
Tu. 665 *mi Strabax.*
R. 1265 *mi Trachalio.*
Ci. IV 2, 66 *mi adulescens.*
As. 664, 941, B. 81, R. 1265 *mi anime.*
Ca. I 46 *mi animule.*
Cu. 673 *mi frater.*
As. 829, 836 *mi gnate.*
Ci. IV 2, 8 *mi homines.*
Ca. I 50 *mi lepus.*
R. 1266 *mi liberte.*
Ca. III 6 24, As. 689 Ml. 915, Mn. 1031, R. 1266, 1280 *mi patrone.*
Po. 1076, 1158 *mi patrue.*
Mr. 503, 508, 525 *mi senex.*
Ci. VI 2, 9 *mi spectatores.*
Ca. III 3, 25, V 4, 12, Am, 502, 710, 716, 812, Ml. 686 *mi vir.*
Po. 367 *meum cor.*
Po. 366 *meum labellum.*
Po. 367 *meum mel.*
Po. 366 *meum savium.*
R. 364 *mea Ampelisca.*
Mr. 683 *mea Dorippa.*
Ci. I 1, 2, 60 *mea Gymnasium.*
Ca. II 3, 14 *mea Juno.*
Ml. 1248, 1266 *mea Milphidippa.*
R. 878 *mea Palaestra.*
Mo. 295 *mea Philematium.*
Tu. 362, 499, 529 *mea Phronesium.*
Cu. 159 *mea Planesium.*
Mo. 158, 166 *mea Scapha.*
Ci. I 1, 23, 54, 79. 96. *mea Selenium.*
Po. 365 *mea amoenitas.*
Tu. 183 *mea benignitas.*

Ca. I 50 *mea columba.*

Po. 367 *meae colustra.*

E. 614, Po. 421 *mea commoditas.*

Po. 365, Tu. 921 *mea delicia.*

S. 742 *meae deliciae.*

Ca. I 47 *mea festivitas.*

Mn. 833, P. 332, 740, 752, R. 1179 *mea gnata.*

R. 420 *mea hilara, lepida.*

Po. 393 *mea inimica et malevola.*

Ca. I 47 *mea mellilla.*

Ci. IV 2, 58 *mea mulier.*

Al. 691 *mea nutrix.*

B. 1176 *mea pietas.*

B. 83, As. 664 *mea rosa*; Ca. IV 3, 4, Po. 366, 421 *mea salus.*

B. 101, Cu. 657, Po. 263, 300, 1192 *mea soror*; Am. 522, Mn. 605 *mea uxor.*

Ca. I 47, Po. 365 *mea vita.*

As. 664, Mn. 189, Mo. 297, Po. 365, 380, 1214, 1292, R. 441, Tu. 521, 536, 687, 899 *mea voluptas.*

b) Vocativus praecedit.

1. in canticorum metris :

Ca. III 6, 24 *Olympisce mi.*

Mo. 336 *anime mi.*

Tr. 281 *gnate mi.*

Br. 27 *cor meum.*

B. 28 *mel meum, suavitudo sq.*

Mo. 343 *Delphium mea.*

B. 1196 *Mel meum, amabo, istaec fiunt.*

Ps. 239 *O Pseudole mi sq.*

Mn. 361 *Animule mi sq.*

Cu. 137 *Phaedrome mi, ne plora amabo.*

Ca. III 2, 20 *ere mi.*

2. in exitu, α) troch. septenariorum :

As. 882, Cp. 1021, Tr. 353, 1180 *gnate mi.*

Cu. 164, S. 740 *mel meum.*

Po. 392 *odium meum.*

Po. 394 *fel meum.*

As. 535, Ci. III 9 *mater mea.*

Ca. II 6, 12 *uxor mea.*

Ci. I 1, 109, 114 *Gymnasium mea.*

Mo. 294, R. 444, Tu. 540, 546, 860 *voluptas mea.*

β) vel iamb. senariorum:

Mr. 822 *alumne ⟨mi⟩.*

Mr. 690 *Juno mea.*

Ca. I 48, Tu. 426 *voluptas mea.*

Al. 690, 692 *mater mea.*

γ) vel iamb. oct.:

Mo. 325 *mel meum.*

3. In principio α) troch. septenariorum:

Cu. 165 Men. 182 *Anime mi.*

Cu. 599 *Phaedrome ⟨mi⟩.*

Po. 1219 *Patrue mi.*

R. 1173 *Filia mea.*

β) vel iamb. senariorum: Cu. 641, 658 *Frater mi.*

γ) vel iamb. tetr.: Ca. II 3, 13 *Uxor mea meaque amoenitas.*

4. In principio alterius dipodiae troch. sept.:

Cp. 1006 Mr. 367 *gnáte mi.*

Cp. 636 *cór meum.*

post caes. semiquinariam iamb. sen.:

Al. 694 *gnate mi.*

Po. 1366 *patrue mi.*

5. Adde:

Tr. 1180 *'O pater, patér mi, salve. # Sálve multum, gnáte mi.*

Cu. 203 *Béne vale, ocule mí: nam sonitum et crépitum claustrorum aúdio.*

As. 830 *Numquídnam tibi moléstumst, gnate mí, si haec nunc mecum ádcubat?*

B. 739. *Lóquere: hoc scriptumst. # 'Núnc, pater mi, prŏin tu ab eo ut caveás tibi.*

Po. 394 *'Oculus huius, líppitudo méa, mel huius, fél meum.*

Vocativum cum pronomine *noster* coniunctum legimus:

Ml. 1039 *Quíd agis, noster árchitecte? # Egone árchitectus? váh. # Quid est?*

S. 705 *Séd interim, stratége noster, quór hic cessat cántharus?*

Exempla allata qui perlustraverit videbit, paucissimis locis exceptis ut Cu. 641, 658, metri necessitate coactum poetam pronomen post vocativum collocavisse.

De singulis versibus haec addenda sunt.

S. 465, ubi libri habent *Epignome, ut ego te nunc conspicio lubens*, verisimillimum puto cum Ritschelio versum ad suos numeros ita redigendum esse, ut scribatur *Epignóme* ⟨*mi*⟩, *ut ego* sq., horum locorum adductus similitudine:

Po. 1294 *Ut nequeo te satis complecti, mi pater.*
R. 363 *Ut ego amo te, mea Ampelisca.*
Mn. 189 *'Ut ego uxorem, méa voluptas, úbi te aspicio, odí male.*
Po. 1192 *Ut vólup est homini, méa soror, si quód agit, cluet victoria.*

Ne quis de *Epígnome* pronuntiatione cogitet, Plautum aut *Epignómus* aut *'Epignomus* dixisse hi loci demonstrant:

S. 528 *Quíd agitúr, Epignóme? # Quid tu?* . . . .
S. 238 *Epignómi ancillast haéc quidem, Crocótium.*
S. 464 *Epignómus hic quidemst, qui ástat* . . . .
S. 283 *Quae mísera in exspectátionest 'Epignomi adventúm viri.*
S. 371 *'Interibi 'Epignomúm conspicio* . . . .
S. 372 *Hém, quid? 'Epignomum élocutu's?* . . . .
S. 582 *Séd videon' ego Pámphilippum cúm fratre 'Epignomo? átque is est.*

Tu. 380 Schoellius sic emendavit.
Verúm tempestas, víta mea, quondám fuit.

A praebet *quondam dum vivixi*, ceteri libri *memini quondam*. At verba *vita mea* hoc loco stare non possunt, quia et Diniarchus Phronesio etiam succenset et Plautus semper *mea vita*, non *vita mea* dicit (cf. Po. 365 S. 584 Ca. I 47). Poeta quid scripserit expediri vix potest, quamquam fateor, me quidem in libri Ambrosiani lectione *quondam, dum vixi* minime offendi. Videtur enim Diniarchus respicere verba Astaphii 163 sq.

Dum vívit, hominem nóveris: ubi mórtuost, quiéscat.
Te dúm vivebas nóveram. # An me mórtuom arbitráre?

Atque etiam aliis locis Plautus 'vivendi' verbo simili modo utitur, cf.:

B. 191 sq. *Quia, si ílla inventást quám amat, vivit ét valet.*

[Si non inventa est minus valet moribundusque est.[1]]
Animást amica amánti: si abest, nullus est.

Ps. 309 *'Atque ego te vivóm salvomque véllem. # Eho, an iam mórtuost?*
'Utut est, mihi quidém profecto cúm istis dictis mórtuost.

Ps. 311 *'Ilico vixít amator, úbi lenoni súpplicat.*

Vocativum *mea* sine substantivo legimus:

Mo. 346 *Quíd ego faciam póstea, mea? # Síc sine eumpse. # Age tu ínterim.*[2]

Pe. 764 Ritschelius codicem B secutus scribit:

Accéde, mea, ad me, ampléctere sis. # Ego véro. # Oh, nil magis dulcest.

Ceteri libri praebent *accede ad me atque amplectere*, quae lectio verisimilior videtur; nam *mea* ob eam causam suspiciosum est, quia Mo. 346 Ter. Eun. 664 Ad. 289 *mea* vel *mea tu* non cum imperativo coniunctum est. Similis locus est R. 242 *'Accede ad me átque adi cóntra. # Fit sédulo.*

2. Idem, quod de vocativo Plautino cum pronominibus coniuncto dixi, cadit in usum Terentianum. Itaque sufficit hoc loco exempla nonnulla afferre.

a) Eun. 535 Heaut. 631, 644 *mi Chremes.*

Ad. 323 Phorm. 478 *mi Geta.*

Hec. 206, 232 *mi Laches.*

And. 286 Hec. 389, 585, 602, 824 *mi Pamphile.*

Hec. 841 *mi Parmeno.*

Eun. 86, 95, 144, 190 *mi Phaedria.*

Heaut. 1028 Hec. 605 *mi gnate.*

Ad. 336, And. 721, Eun. 756, Phorm. 1005 *mi homo.*

Ad. 674, 681, 922, 935, 936, 955, And. 889, Hec. 455 *mi pater.*

And. 788 *mi senex.*

Heaut. 1005, 1015, 1048, Hec. 235, Ph. 991, 1002 *mi vir.*

[1] Cf. de hoc versu A. Prehn, Comment. in hon. Guil. Studemund, Argent. 1889, p. 4.

[2] Ussingius verba *Quid ego* sqq. Delphis tribuit ita, ut *mea* e textu eiciatur. Pronomen sane sine substantivo positum suspicionem movet.

Eun. 456, Heaut. 381, 398, Ad. 353, And. 134, Heaut. 731, Eun. 656, Ad. 343, Hec. 318, Hec. 353, 358, Ad. 287, Eun. 913, Heaut. 617.

b) Eun. 351 *Eho Pármeno mi, nóstin et scis úbi siet?*

Heaut. 291 *Reiéctus negleyénter, pax. # Syre mi, óbsecro.*

Heaut. 1052 *'Ignosce. # Age, Chremés mi. # Age quaeso, né tam offirma té, Chremes.*

And. 685 *Tuom Pámphilum: modo tu, ánime mi, nolí té maceráre.*

Heaut. 406 *Salve, ánime mi. # O mi Clínia, salve. # Út vales?*

Hec. 577 *Non clám me est, gnate mí, tibi me esse súspectam uxorém tuam.*

Heaut. 1060 *Gnaté mi, ego pol tíbi dabo illam lépidam, quam tu fácile ames.*

Hec. 606 *Et míhi quidem: nam haec rés non minus me mále habet quam te, gnáte mi.*

Ad. 901 *Quid ágitur, Aeschine? # 'Ehem, pater mi, tu híc eras?*

Hec. 325 *Quonám modo, Philúmena mea, núnc te offendam adféctam?*

Eun. 834 *Era méa, tace tace óbsecro, salvaé sumus.*

c) Ad. 289 *Recte édepol spero: módo dolores, méa tu, occipiunt prímulum.*

Eun. 664 *Perii, óbsecro tam infándum facimus, méa tu, ne audiví quidem.*

d) Eun. 154 *Eu, noster, laudo;* Ph. 398 *Eu, noster, recte.* Heaut. 692.

Quid fáciam? Syre mi, gaúdeo: fer mé. # Fero hercle véro.

Codices inter se discrepant, cum BEFP praebeant *mi Syre.* Cum metri ratio non ut in v. 291 postulet *Syre mi,* fortasse scribendum est *mi Syre* (cf. *o mi Syre* 684).

§ 3.

De vocativo cum interiectione o coniuncto.

Iam Fleckeisenus in annal. philol. 1856 p. 686 interiectionem *o* vocativo non additam esse nisi in sermone concitato docet. Atque *o* cum nudo vocativo et *o mi* (*mea meum noster*) cum

vocativo ita inter se differunt, ut *o mi* cum animi concitatione amoris notionem coniungat. Exempli causa paucos afferam versus.

1. R. 742 . . . . . . # *O filia,*
Quóm ego hanc video, méarum me apsens míseriarum cónmones.

Ps. 1065 *O fórtunate, cédo fortunatám manum.*

R. 1144 *'Istaec est. o meí parentes, hic vos conclusós gero.*

Tr. 1072 *Cérte is est, is ést profecto. O mí ere exoptatíssume, Salve.*

2. Eun. 1031 *'O populares, écquis me hodie vívit fortunátior?*

And. 783 *Quis hic lóquitur? o Chremés, per tempus ádvenis.*

Eun. 455 *Atque éccum. salve mí Thraso.* # *O Thaïs mea, Meum savium, quid agitur?*

Ad. 268 *Ego illam [hércle] vero omítto, qui quídem te hábeam fratrem: o mi Aéschine,*
O mí germane: ah véreor coram in ós te laudare ámplius.

His praemissis iam leges persequar, quas Plautus et Terentius in usu interiectionis *o* secuti sunt.

In omnibus versibus Plautinis, exceptis Ca. II 3, 19, R. 160, Al. 621, Tu 391, *o* in initio enuntiati positum est.

De qua re conferas:

Mr. 854 *'Egomet mihi feró quod usust. ó Cupido, quántus es.*

Pe. 16 *'O Sagaristió, di ament te.*[1] # *O Tóxile, di dabunt quae exoptes.*

B. 451 *Séd quis est, quem astántem hic video ante óstium? o Philóxene.*
Deós propitios mé videre quam íllum haud mavellém mihi.

Cf. As. 298, Al. 334, B. 148, 136, 182, 933, 979, Cu. 234, Ml. 725, 1344, Mn. 1065, Pe. 101, 883, Po. 858, 1050, 1271, R. 358, 679, 1052, Mo. 161, S. 618, Tr. 48, 588, 617, 1188, Tu. 161.

R. 1144 *'Istaec est. o mí parentes, híc vos conclusós gero.*

Pe 99 *Prope me híc nescio quis lóquitur.* # *O mi Júppiter,*

[1] Hoc uno loco Plautus, ut ictum *di té ament* vitaret, pro usitato *di te amént* scripsit *di amént te. Di te amént* legimus Al. 183, B 457, Cu 455, Mo. 341, 717, 806, 1130, Po. 751, Ps. 1294, R. 1303 (*di te ament* Cp. 138).

Terréstris coepulónus te adpellát tuus.

Cf. Cu. 305, 639, Ci. I 1, 96, Mn. 137, Po. 1039, 1050, 1127, Ps. 239, Tr. 245.

R. 160 *Sed ó Palaemon, sáncte Neptuní comes*

et Tu. 391 *Quemprópter, o mea víta? ⫲ Propter mílitem*

facile feremus. Neque Ca. II 3, 19

Réspice, o mí lepos! ⫲ Némpe ita, uti tú mihi es!

o offendit, quoniam Plautus in canticis maiore quam in diverbiis usus est licentia. Emendatione autem videtur indigere

Al. 621 *Aúrum, dúm hic est óccupatus. séd si repperero, ó Fides,*
Múlsi congiálem plenam fáciam tibi fidéliam.

Metro *o* non flagitatur et mirum est, Strobilum *o Fides* exclamare, cum Euclio, a quo multo magis quam ab illo *o Fides* dici putaveris, vocativo *Fides* nusquam *o* adiecerit (cf. 586, 608, 611, 614). Suspicio augetur eo, quod in ceteris huius generis versibus (Ca. II 3, 19, R. 160, Tu 391) *o* secundum enuntiati locum, hic autem quartum obtinet. Praeterea propter verbum *repperero* facillime *o* in textum irrepere potuit. Itaque suo iure Hario auctore Studemundus in scholis dubitavit, num *o* a Plauto profectum esset.

Iam vero apparet, quam falso Ritschelius B. 121 scripserit:

An nón putasti esse? hém quam, o Lyde, es barbarus

ubi in librorum memoria:

An non putasti esse umquam? o Lyde es barbarus

quid tandem offendat non video, quamquam etiam Goetzius in sua editionis Ritschelianae recognitione de vitio cogitare videtur, cum dicit 'fortasse eam posse defendi, si non possit, cum Bergkio *umquem* se scripturum esse'.

In Terentii quoque fabulis a particula *o* novum enuntiatum ordiri solere hi versus demonstrant:

And. 344 . . . . ? *o Pamphile,*
Te ipsum quaero.

Ad. 449 . . . . ! *o Aeschine,*
Pol haud paternum istuc dedisti.

Hec. 406 *Sólitudoque. ó Fortuna, ut númquam perpetuo és bona.*

Ad. 831 *Omíssiores paúlo. o noster Démea,*
Ad ómnia alia aetáte sapimus réctius.

Ad. 883 *Quis homo? ó Syre noster, sálve: quid fit? quid agitur?*

Heaut. 630 *'Exponendam. # O Júppiter,*[1] *tantam ésse in animo inscítiam!*

Cf. Ad. 260, 407, 724, And. 492, 868, 965, Phorm. 72.

Heaut. 684 *O mi Syre, audisti obsecro?*

Hec. 352 *O mi gnate. # Mea mater, salve.*

Cf. Ad. 983, 268, Eun. 743, Hec. 382. Neque abhorrere apparet a consuetudine And. 846:

'Erus est: quid agam? # O sálve, bone vir. # 'Ehem Simo, o nostér Chremes.

Ex illa lege manant reliquae, quas iam enumerabo.

α) Si duo, tres, quattuor vocativi sese excipiunt, *o* ad omnes accedere potest, velut

1. Po. 1271 . . . . . . *# O Apella, o Zeuxis pictor.*

B. 933 *O Troía, o patria, o Pérgamum: o Priáme, periisti senex.*

Tr. 1094 *O Cállicles, o Cállicles, o Cállicles.*

Mn. 137 *Quís homost? # Ego sum. # O méa commoditas, ó mea opportúnitas.*

S. 584 *O mea vita, o mea voluptas, salve.*

2. Phorm. 233 *Reveréri saltem! nón pudere! o fácinus audax, ó Geta Monitor!*

2. Phorm. 841 *O Fortuna, o Fors Fortuna.*

Ad. 790 *O caelum, o terra, o maria Neptuni.*

[1] Plautus dicit *pro Juppiter*, vel *Juppiter*, non *o Juppiter*. Legimus *pro Juppiter*: Al. 341, Am. 1074, Cu, 638, 655, Ml. 1133. Mn. 412, 957, Mo. 191, Ps. 574, *Juppiter*: Ca. II, 6, 55, Mr. 865, Pe. 755. Po. 1187, Tu. 372. *Juppiter, pro Juppiter*: Am. 791. *Juppiter supreme*: Cp. 768, 979, Mn. 1114. *pro supreme Juppiter*: Po. 1122. *summe Juppiter*: Am. 780, 933. *magne Juppiter*: Po. 1163. Pe. 99. . . . || *O mi Juppiter,*

Terréstris coepulónus te adpellát tuus

Saturio per iocum Toxilum appellat: *O mi Juppiter.*

Terentius dicit *o Juppiter*: Ad. 731, 757 (in hoc versu legendum est *conveniam*, quod demonstratur versibus Ad. 499, 513, 209. Hec. 731, And. 974, Phorm. 739, Eun. 461, 557, 650, 1006, Phorm. 609, Hec. 429, 855, Ad. 460), And. 464, 930, Eun. 946, 1048, Heaut. 256, 690, Phorm. 816. *pro Juppiter*: Ad. 111, 366, Eun. 550, Hec. 317, And. 732. *pro supreme Juppiter*: Ad. 196. *Juppiter magne*: Eun. 709.

Ad. 268 . . . . . . : *o mi Aeschine,*
O mí germane: ah véreor coram in ós te laudare ámplius.

Eun. 1034 *Quid hic laétus est? # O Pármeno mi, o meárum voluptatum ómnium.*
Inventor inceptor perfector.

β) Sin *o* non omnibus vocativis sed uni vel alteri additur, usus postulat Plautinus et Terentianus, ut primus vel prior vocativus *o* habeat.

1. As. 689 *O Libane, mi patrone, mihi trade istuc . . . .*
Cu. 305 . . . . . . # *O mea opportunitas,*
Curculio exoptate, salve.

2. Hec. 856 *O Bacchis, o mea Bacchis, servatrix mea.*
Eun. 455 *Atque éccum. salve, mí Thraso. # O Thaís mea,*
Meum savium.
And. 817 *O óptume hospes, pól, Crito, antiquom óptines.*

γ) Si idem vocativus repetitur, *o* semel ponitur priorique vocativo additur.

1. Cu. 626 *O cives, cives . . . .*
R. 1235 *O Gripe, Gripe . . . .*
B. 814 *O stulte, stulte . . . .*
R. 523 *O scirpe, scirpe . . . .*
Tr. 1180 *O pater, pater mi, salve.*

2. And. 282 *O Mysis, Mysis . . . .*
Eun. 91 *O Thaïs, Thaïs . . . .*
Ad. 256 *O frater, frater . . . .*

Quae exempla qui perlustraverit, non potest non offendere in tralaticia forma Poenuli v. 1195:

Si tibi illi non os oblitumst fuligine. — O patrue, o patrue mi patruissume:

sic fere Pall.; A vel *fuligine* (O P)ATRUE } O PATRUEMI
vel *fuligine* (# P)ATRUE }

omissa *patruissime* voce, quam in ceterorum librorum archetypo e versu 1197 in hunc irrepsisse cum Gepperto atque Goetzio facile credo. Quo autem modo locus difficillimus cum aliqua probabilitatis specie expediendus sit, me nescire libere fateor; itaque satis mihi est admonuisse, usum requirere aut *o patrue, patrue mi* aut ***patrue, patrue mi.***

As. 616 codices praebent:

O Líbane út miser ést homo, qui amát! # *Immo hercle véro.*

Ussingius librorum lectionem ita servat, ut hiatum post *Libane* admittat. Goetzius quod scribendum coniecit: *ut ⟨misere⟩ miser homost, qui amat* ad horum locorum similitudinem:

Ps. 13 *Misere miser sum, Pseudole* . . . .

Ci. IV 2, 21 *Illo sunt homines misere miseri*

ea de causa probare non possum, quia adiectivi vis cum *ut* particula coniuncti numquam adverbio amplificatur; ad quam rem illustrandam pauca afferam exempla:

R. 531 *Ut fórtunati súnt fabri ferrárii.*

R. 164 *Ut áfflictantur míserae. euge, euge pérbene.*

R. 364 *Mea 'Ampelisca: ut dúlcis es: ut múlsa dicta dícis.*

Tu. 449 *Ut miserae matres sollicitaeque ex animo sunt.*

Cf. Mn. 189, Ps. 574, R. 1175.

Deinde in sequenti versu 617: *Qui pendet multost miserior* comparativus indicare videtur, in v. 616 *miser* non *misere miser* scriptum fuisse. Conferas etiam Pe. 179

Miser ést, qui amat. # *Certo is quídem nihilist.*

Quamobrem mea quidem sententia Camerarius verum vidit, cum coniceret:

O ⟨Líbane⟩, Libane, ut míser homost, qui amát # *Immo hercle véro.*

In generalibus enim sententiis Plautus vocativum saepe iterat, velut R. 1235

O Grípe, Gripe, in aétate hominum plúrumae
Fiúnt transennae, úbi decipiuntúr dolis.

§ 4.

De vocativo cum imperativo «salve» coniuncto.

Cum ‚salve' imperativo vocativus ita coniungitur, ut vel ante vel post eum collocetur. Atque illud si fit, vocativo aliquotiens *o* adiunctum est, nusquam vero, si *salve* antecedit.

a) Vocativus imperativo praepositus est

α) cum *o*:

1. Plaut. Mn. 1065 *O adulescens, salve.*

B. 182 *O Pístoclere, sálve.* # *Salve, Chrýsale.*

R. 1052	*O ere, sálve.*
Tr. 48	*O amice, salve.*
Tr. 1180	*'O pater, patér mi, salve. # Sálve multum, gnáte mi.*
Pe. 789	*O boni vir, salveto: et tu, bona liberta.*
Po. 1050	*O mi hospes, salve multum.*
Po. 1039	*O mi popularis, salve.*
Tr. 1072	*. . . . o mi ere exoptatissume,*
	Salve. # Salve, Stasime.
Mn. 137	*. . . . # O mea commoditas, o mea opportunitas,*
	Salve. # Salve.
Cu. 305	*. . . . . # O mea opportunitas,*
	Curculio exoptate, salve. # Salve.
2. Ter. And. 802	*. . . . # O Mysis, salve. # Salvos sis, Crito.*
Heaut. 406	*Salve, anime mi. # O mi Clinia, salve.*
Ad. 883	*Quis homo?*[1] *o Syre noster, salve.*
β) sine *o*:	
1. Cp. 138	*Ergásile, salve. # Dí te bene ament, Hégio.*
B. 170	*Erilis patria, salve.*
Cu. 392	*Unocule, salve.*
Cu. 455	*Atque eccum video. leno, salve.*

S. 239 *Gelasime, salve.* Mr. 283 *Lysimache, salve.* Ml. 1315 *Philocomasium, salve.* Mn. 278 *Menaechme, salve.* Ca. II 2, 5 *Murrhina, salve.* Cu. 414 *Summane, salve,* 561 *Therapontigone Platagidore, salve.* As. 623 *Philaenium, salve,* 619 *Ere, salve.* Ca. III 6, 9 *Bone vir, salve.* B. 587 *Adulescens, salve,* 775 *Bone serve, salve.* Ml. 1137 *Pulcer, salve.*

Cu. 641 *Frater mi, salve.* Mn. 183 *Anime mi, Menaechme, salve.* Mn. 1125 *Mi germane gemine frater, salve.* Po. 1076 *Mi patrue, salve.* R. 1073 *Filia mea, salve.*

2. And. 267	*Quis hic loquitur? Mysis, salve. # O salve, Pamphile.*
Hec. 82	*Philótis, salve múltum. # O salve, Pármeno.*

[1] Hoc uno loco Terentius dicit *quis homo*, cum ceteris in versibus legamus *quis homost?* cf. And. 965, 974, Eun. 976; *quis hic homost* occurit nobis Phorm. 991, *quis hic est homo* Eun. 676; sed quamquam in Ad. loco DEG praebent *homo est*, tamen versus 885 *o noster, quid fit? quid agitur?* demonstrat, *quis homo?* in v. 883 non mutandum esse.

Hec. 731 *Adgrediar. Bacchis, salve.*

Heaut. 427 *Menedeme, salve.* Phorm. 286 *Ere, salve: salvom te advenisse gaudeo*, 287 *Bone custos, salve.* Eun. 850 *Adeamus. bone vir, Dore, salve.* Phorm. 254 *Mi patrue, salve. # Salve.* Hec 353 *Mea mater, salve*, 456 *Gnate mi, salve.*

b) *Salve* vocativo praecedit:

1. Ep. 1009 *Salve, Tyndare. # Et tu . . . .*
R. 1003 *Salve, Thales.*
S. 585 *Salve. # Salve, Gelasime.*
Tr. 1073 *Salve. # Salve, Stasime.*
Ca. III 2, 11 *Séd eccam, opino, arcéssit! Salve, Cleóstrata. # Et tu, Alcésime.*
S. 90 *Salve, mi pater. # Et vos.*
Ml. 902. *Salve, architecte. # Salva sis.*
Mo. 340 *Sálve, amicíssume míhi hominum ómnium.*
Cu. 120 *. . . . . # Salve, oculissume homo.*
Mn. 775 *. . . . . # Ibo advorsum. salve multum, mi pater.*[1]
Pe. 739 *Salve multum, mi pater.*
Tr. 1180 *Salve multum, gnate mi.*
R. 1175 *Salve, mi pater insperate. # Salve.*
Cu. 657 *. . . . . salve, mea soror.*
S. 649 *Salvete, Athenae.*
2. Hec. 83 *Salvé mecastor, Pármeno. # Et tu edepól, Syra.*
Hec. 732 *Salve, Laches.*
Phorm. 609 *Adíbo hosce: o nostér Chremes . . . . # Salvé, Geta.*
Ad. 461 *Jubeo. # 'Oh, te quaerebam ípsum:*[2] *salve, Démea.*

[1] Plautus dicit *salve multum*, sed *bene vale.* Terentius, quantum scio, *salve multum* semel (Hec. 82) usurpat, cum *bene vale* occurrat Heaut. 167: *Bene vale.* || *Et tu.* Hec. 197 *Vale.* || *Et tu bene vale, Philotium.*

[2] Usitata verborum collocatio est *te ipsum quaerebam* cf. And. 533 *O te ipsum quaerebam.*

Phorm, 472 *Te ipsum quaerebam.*

Te ipsum quaero exstat Ad. 266, And. 345.

Te ipsum (ipsam) quaerito Ad. 81, 321.

Cf. Eun. 743 *O mi Chremes, te ipsum expectabam.*

Solitum verborum ordinem *oh te ipsum quaerebam* in illo Ad.

Hec. 855 *Salvè, Pamphile.*
Hec. 455 *Salve, mi pater.*
Heaut. 406 *Salve, anime mi. # O mi Clinia, salve.*
Eun. 455 *Atque éccum. salve, mí Thraso. # O Thaïs mea.*

c) *O salve (salvete)* vocativo sequente legimus in versibus his:

1\. Mn. 1132 *'O salve, insperate . . . . frater.*
Tr. 1163 *O salvete, adfines mei.*
2\. And. 267 *Quis hic loquitur? Mysis, salve. # O salve, Pamphile.*
Hec. 82. *Philotis, salve multum. # O salve, Parmeno.*
And. 318 *Charínum video. Sálve. # O salve, Pámphile.*

De And. versu 846
'Erus est: quid agam? # O sálve, bone vir. # 'Ehem Simo; o nostér Chremes.
dubia res est, quoniam maior librorum pars (B C E G P) *o* ante *salve* omittit.

d) Iam versus quidam singillatim tractandi sunt.

Cp. 1006 libri praebent:
Rédiit. # Salve, éxoptate gnáte mi. # Hem, quid gnáte mi?

Ut hiatus tolleretur, Fleckeisenus *salve* in *salveto* mutavit; sed Plautus *salveto* nusquam in initio enuntiati ponit, id quod hi loci demonstrant:

As. 297 *Gymnasium flagri, salveto.*
Cu. 234 *O scelerum caput, salveto.*
Pe. 789 *O bone vir, salveto: et tu, bona liberta.*
R. 103 *Patér, salveto ámboque adeo. # Sálvos sis.*
R. 416 *Sálve, adulescens. # 'Et tu multum sálveto, adulescentula.*
Mn. 1076 *Tú erus es: tu sérvum quaere. tú salveto: tú vale.*

Neque minus falsam esse quam Muellerus 'Plautinische Prosodie' p. 596 proposuit coniecturam *salve o* e locis supra allatis apparet. In quam ipse incidi coniecturam:
Rédiit. # ⟨'O⟩ salve, éxoptate gnáte mi. # Hém, quid gnáte mi?
eam iam Spengelium in Philologi vol. 37 p. 449 fecisse postea vidi.

versu metri causa poetam immutavisse apparet; sed dubitari potest, utrum omnino ab usu suo recesserit an eum ita saltem servaverit tu *te ipsum* verba non dirimeret scriberetque: *Jubeo. Oh, quaerebam te ipsum.*

Stichi locum 583, qui in libris talis est:

Adgrediar hominem. sperate Pamphilippe, o spes mea,
O mea vita, o mea voluptas, salve . . . .

homines docti varie temptaverunt, atque Ritschelii quidem rationem alteram versus partem sic scribentis: *Pamphile, o salus mea* propter metrum ferri non posse docuit Luchsius in Studemundi Stud. I p. 30. Qui quod ipse in verborum *sperate* et *o spes mea* coniunctione offendens coniecit *éxoptate Pámphilippe, o spés mea,* non magis probandum est quam quod eo duce Goetzius posuit *exspectate Pámphilippe, o spés mea;* nam cum ceteris vocativis *o* interiectio addita sit, ipsum primum ea cavere a more Plautino alienum est, id quod ex eis apparet, quae supra exposita sunt. Itaque Ritschelius rectissime *o* ante *sperate* inseruit, neque quicquam praeterea in librorum memoria esse mutandum censeo; nam *speratus* vox cum eandem habeat vim atque *cupitus* vel *exspectatus* (Po. 1260 *cupite atque exspectate pater, salve;* cf.

Po. 1268 *Prius quam te mihi desponderit. # Omitto. sperate*[1] *salve.*

Am. 676 *'Amphitruo uxorém salutat laétus speratám suam.*

Mr. 843 *Spém speratam*[2] *quom óptulisti núnc mihi, tibi gratés ago.*

denique Non. p. 174, 33), et *spes mea* (vel *Spes mea*) sit is, in quo spem meam pono, qui spem mihi affert, non video quid vocabulorum illorum coniunctio habeat offensionis.

Po. 1127 Goetzius Muelleri (Plaut. Pros. p. 180) coniecturam amplexus recte videtur scripsisse

O mí ere, salve, ⟨o⟩ Hánno, insperatíssume
Mihi tuisque filiis, salve.

Geppertus *salve⟨to⟩ Hanno* proposuit; sed non est verisimile, eundem poetam in priore versu *salveto*, in altero *salve* dixisse; at in Muelleri scriptura optime respondent inter se *o mi ere, salve* et *o Hanno . . . . salve.*

Ml. v. 1343 sqq. sic exhibent libri:

Qm̄ abs te abeam. # fer equo animo. # scio ego quid doleat mihi.

[1] Ussingius hunc versum delet.

[2] *Spem (in)speratam* Goetzius non debuit cum Brixio scribere.

⁜ Sed quid hoc queris quid video vix salve.
⁜ Iam resipisti ⁜ obsecro quem amplexa sum.
Hominem perii . . . .
nisi quod pro *vix* habeant CD *lux*.

Ritschelius *scio ego quid doleat mihi* e versu 1325 iterata esse ratus librorum verba satis violenter tractavit neque recentioribus editoribus suam rationem probavit, qui iterationem illam ferri posse intellegentes rectissime in versu 1344 post *salve*, in versu 1345 post *resipisti* lacunam statuunt, quam vario modo explere student. Atque in v. 1345 Brixius et Ribbeckius *Philocomasium* excidisse cum H. Schenkelio (Plaut. Stud. p. 87) consentiunt. In v. 1344 Brixius Ritschelii coniecturam in adnotatione critica prolatam secutus scribit *o lux salve candida*, non recte, quia Plautum et Terentium nusquam *salve* inter substantivum et adiectivum ponere exemplis supra allatis demonstratur. Adde quod hoc loco *o lux* plane sufficit, neque opus est ad similitudinem Am. v. 547
'Ut mortalis ínlucescas lúce clara et cándida
attributum *candida* adicere. Ribbeckius quod in sua editione scribit *O lux salve. ⁜ Salva sis. Iam resipisti?* in eo cum aliis causis offendo, tum maxime mirum mihi videtur in tali rerum condicione eandem personam dicere *salva sis, iam resipisti?* Optimam meo iudicio coniecturam Brixius ipse in appendice critica protulit: *o lux, salve, salva sum. ⁜ Iam resipisti?* Sic omnia bene inter se cohaerent. De *salvos, salva sum* cf. Am. 331, Cu. 610, Ca. II 5, 4, B. 772, Mo. 566, Mr. 603, Ps. 974, R. 442, 1394 Tu. 707 Am. 730.

Tu. v. 577 Schoellius ita scribit:
Júbeo vos salvére. ⁜ O noster Cúame! quid agis? út vales?
coll. Ter. Ad. 883:
Quis homo? ó Syre noster, sálve: quid fit? quíd agitur?

Sed hic versus Terentianus Plautino dissimillimus est, non solum quia salutationem, non resalutationem, verum etiam, id quod maximi momenti est, imperativum *salve* continet. Equidem in eo, de quo agitur, versu notionem resalutandi desidero, quae plerumque in eiusmodi locis invenitur. Taedium ne moveam legentibus, nolo omnia quae huc pertinent exempla enumerare, praesertim cum supra, ubi de *salve* egimus, magna

exemplorum copia congesta sit. Quamobrem hoc loco sufficiant haec :

As. 296 *Júbeo te salvére voce súmma quoad virés valent.*
⫽ Gymnasium flagrí, salveto. ⫽ Quíd agis, custos cárceris?

Mo. 568 *Salvére iubeo té, Misargyridés, bene.*
⫽ Salve ét tu. quid de argéntost? Abi sis, bélua.

Mn. 1128 *Júbeo te salvére et salvos quom ádveñis, Theópropides,*
Péregre, gaudeo. híc apud nos hódie cenes: síc face.
⫽ Cállidamates, dí te ament: de céna facio grátiam.

R. 262 *Jubémus te sálvere, máter. ⫽ Salvéte,*
Puellae.

Cp. 1009 *Salve, Tyndare. ⫽ Et tu.*

Ca. III 2, 11 *Salve, Cleostrata. ⫽ Et tu, Alcesime.*

Po. 1039 *O mí popularis, sálve. ⫽ Et tu edepol, quísquis es.*

Tr. 48 *O amice, salve* 49 *Et tu edepol salve, Callicles.*

R. 416 *Sálve, adulescens. ⫽ 'Et tu multum sálveto, adulescéntula.*

Mr. 283 *Tantúmst. ⫽ Lysimache, sálve. ⫽ Euge: Démipho,*
Salvéto. quid fit? quíd agis? ⫽ Quod misérrumus.

R. 1052 *O ere, salve. ⫽ Salve. quid fit?*

Accedit quod *o noster* apud Plautum nusquam, *o mi* cum nomine proprio coniunctum ter tantum legitur. Quibus rationibus adducor, ut Seyfferto assentiar, qui 'Stud. Plaut.' p. 13 scribendum coniecit: *Et nos te, Cuame*, quae coniectura locis his confirmatur:

Ci. IV 2, 58 *Mi homo et mea mulier, vos saluto. ⫽ Et nos te.*

S. 90 *Salve, mi pater. ⫽ Et vos.*

cf. R. 1055 *Iterum te saluto. ⫽ Et ego te.*

Ml. 1267 *Ille ad nos pergit. ⫽ Vos volo. ⫽ Et nos te.*

Mn. 1125.

Mi germane gémine frater, sálve: égo sum Sósicles.

Muellerus 'Plautinische Pros.' p. 32. 594 ante *sum Sosicles* inserendum putat *is.* Hiatum si tolerare non licet — id quod in nostro versu non certo affirmarim — Fleckeiseni emendatio *salveto* maxime placet :

Mí germane gémine frater, sálve⟨to⟩:[1] *ego sum Sósicles.*

In Poenuli v. 1076

Mi patrue, salve. ⫲ *Et tu salve, Agorastocles.*

Pylades proponit *salvé ⟨mi⟩ Agorastocles.* Sed rarissime in tabulis Plautinis nomini proprio cum *salve* coniuncto pronomen *mi (mea)* additur. Si quid est mutandum — nam hiatus in caesura penthemimere praesertim accedente personarum mutatione ferri potest — multo probabilius Camerarius pro *salve* scripsit *salve⟨to⟩;* cf. R. 416

Sálve, adulescens. ⫲ *'Et tu multum sálveto adulescéntula.*

Restat, ut pauca addam de Mn. loco 1132 sq., qui vulgo vetere duce sic scribitur:

'O salve, insperáte, multis ánnis post quem cónspicor,
Fráter. ⫲ *Et tu, quém ego multis míseriis, labóribus . . . .*

Vahlenus cum C D sic verba distribuit: ⫲ *Frater et tu;* sed hoc Plautino dicendi usui repugnat, secundum quem *et tu* praecedit vocativo (cf. Tr. 49 *et tu . . . . Callicles,* Pe. 789 *et tu, bona liberta,* Po. 1076 *et tu . . . . Agorastocles,* Ca. III 2, 11 *et tu, Alcesime,* R. 416 *et tu. . . . adulescentula,* Po. 1039 *et tu edepol, quisquis es,* Cp. 1009 *Salve Tyndare.* ⫲ *Et tu, quoius* ss.), ut, si illa personarum discriptio vera sit, non in tralaticia scriptura acquiescendum, sed *Et tu, frater* scribendum sit. Praeterea *insperate* sine vocativo apud Plautum non invenitur; cf. R. 1175 *salve, mi pater insperate,* Po. 1259 *salve, insperate nobis pater.* Videtur autem Vahlenus in eo offendisse, quod substantivum *frater* enuntiato relativo ab adiectivo *insperate* dirimitur, et concedimus huius generis nullum aliud apud Plautum exstare exemplum, qui vel singula verba rarissime inter adiectivum et vocativum interponit (cf. infra p. 58); sed tamen non negaverim hoc omnino ferri posse, et cum locus ita comparatus sit, ut sive Veteris sive reliquorum librorum discriptionem sequaris, aliquid restet scrupuli, vulgarem rationem praeferendam esse censeo, quippe quae minus videatur habere difficultatis.

[1] Discrimen nullum intercedit inter *salveto* et *salve*; Plautus forma *salveto* non utitur nisi metri necessitate adductus, de qua re exempla videas supra allata.

§ 5.

De vocativo cum particula heus vel eho coniuncto.

Particulam *heus* vel *eho* vocativo is addit, qui aliquem vocat vel de aliqua re monet. Collocatio particulae cernitur ex his locis :

a) Po. 851 *Núnc domum ibo. # Heus, Sýnceraste. # Sýncerastum quí vocat?*

Mo. 784 *Heus, Théopropides. # Hém, nam quis híc nominát me?*

R. 97 *Prope me híc nescio quis lóquitur. # Heus, Scepárnio.*

cf. Ca. III 5, 68, *Heus, Palaestra.*

Mo. 515 *Heus, Tranio.*

R. 677 *Heus, Palaestra.*

R. 828 *Heus, Ampelisca.*

Ml. 434 *Tibi ego dico: heus, Philocomasium.*

Ep. 1 *Heus, adulescens.*

Ml. 816 *Sed illum évocabo. heus, Scéledre, nisi negótiumst,*
Progrédere ante aedis: té vocat Palaéstrio.

Ml. 610 *'Evocabo. heus, Périplecomene et Pleúsicles, progredimini.*

cf. Al. 264 *Heus, Strobile, sequere.*

Al. 350 *Heus, Staphyla, prodi.*

B. 1118 *Heus, Bacchis, iube.*

Pe. 725 *Heus, Saturio, exi.*

Ml. 522 *Heus, Philocomasium, cito transcurre.*

Tr. 963 *'Adgrediundust híc homo mi astu. heus, Páx, te tribus verbís volo.*

Mn. 378 *Sed sine me dum hanc compellare. heus, mulier, tibi dico.*

Cu. 303 *Quid si adeamus? heus, Curculio, te volo.*

Al. 269 *? heus, Staphyla, te voco.*

Mn. 135 *Heús, adulescens, écqua in istac párs inest praemí mihi?*

Mo. 937 *Heus reclude: heus, Tranio, etiamne aperis?*

Ps. 1139 *Heus, chlamydate, quid istic debetur tibi?*

Ml. 469 *Heus, Palaestrio, machaera nihil opust.*
Al. 456 *Heus, senex, ... abs te mercedem petam.*
Tr. 871 *Heus, senex . . . . quaero.*

b) Po. 1398 *Heus tu, leno.*
Cu. 686 *Núnc domum properáre certumst. ‖ Heús tu, leno, té volo.*
Cu. 185 *Heus tu, mulier.*
Po. 1305 *Heus tú, tibi dico, múlier, ecquid té pudet?*
Mo. 939 *Heus vos, pueri, quid istic agitis?*

c) Cu. 147 *Péssuli, heus péssuli, vos salutó lubens.*
Mr. 100 *Uxór, heus uxor, quámquam tu iratá's mihi.*
Ps. 243 *Hódie nate, heus, hódie nate : tíbi ego dico : heus, hódie nate,*
Redi et respice ad nos.

d) Ca. V 3, 17 *hac dabo protinam ⟨me⟩ et fugiam. ‖ Heus, sta ilico amator.*
R. 481 *Heus exi, Ptolemocratia, cape hanc urnam tibi.*
Cu. 276 *Heus ⟨éxi,⟩ Phaedrome, éxi, exi, exi inquam ócius.*
Po. 205 *Sed évocabo. heus, í foras, Agorástocles.*
Tu. 115 *Heus mánedum, Astaphium, príusquam abis!*
Ml. 420 *Adeámus, appellémus. heus, quid istúc est, Philocomásium?*

Tu. 917 *Sed eccam video amicam : heus, quid agis, mulier?*

e) Cu. 391 *Simulábo quasi non nóverim. heus tu. té volo.*
Cu. 516 *Lycó, numquid vis? ‖ Béne vale. ‖ Vale. ‖ Heús tu, tibi égo díco.*

cf. *heus tu* sine vocativo :
B. 327 Mo. 680, 790, Pe. 615, 672, 669, Po. 515, 709, R. 140, 1357, 1369, 1398, Ps. 296, 967, Tr. 1059 (bis), Tu. 682.

heus vos sine substantivo :
Pe. 845 *Heus vos.*
Mo. 988 *Heus vos, ecquis hasce aperit?*
Ca. II 2, 2 *Heus vos, ecquis haec quae loquar audit?*

Heus vocativum sequitur:

Mo. 467 *Ere, heús, iube illos íllinc ambo apscédere.*

Pe. 459 *Sagarístio, heus, exi átque educe vírginem.*

Ci. IV 2, 39 *Redeo intro.* ⁜ *Mulier, heus, mane . . . .*

Po. 279 *Mílphio, heus, ubi és? Assum apud te eccum.* ⁜ *'At ego elixus sís volo.*

Mn. 844 *Fília, heus.* ⁜ *Quid ést? quid agimus?* ⁜ *Quíd si ego huc servós cito?*

E Terentii fabulis huc pertinent:

a) Phorm. 847 *'Ad lenonem hinc íre pergam: ibi núnc sunt.* ⁜ *Heus, Geta.* ⁜ *'Em tibi.*

Hec. 339 *Nunc ad eam visam.* ⁜ *Heus, Sostrata. Hem.*

And. 84 *. . . . rogitabam 'heus, puer,*
Dic sodes, quis heri Chrysidem habuit?'

Phorm. 1037 *Heus, Nausistrata, priusquam huic respondes temere, audi.*

Ad. 882 *Heus, Demea, orat frater.* Ad. 776 *heus Syre, orat te . . . .*

Eun. 624 *Vóluit facere cóntra huic aegre: 'heus' ínquit 'puere, Pámphilam*
Accerse ut delectet hic nos'.

b) Eun. 594 *. . . . venit una, 'heus tu' inquit 'Dore, Cape flabellum'.*

c) Ad. 281 *Heus heus, Syre.* ⁜ *Quid ést?*

Heaut. 348 *Verum hércle istuc est. Sýre, Syre inquam, heus heús, Syre.*

Eun. 337 *'Heus heús, tibi dico, Chaérea' inquit. réstiti.*

d) Phorm. 398 *. . . . heus tu, cave.* cf. Eun. 102, 217, 434 Heaut. 369, 550.

e) Phorm. 152 *Puer, heús. nemon hoc pródit? cape, da hoc Dórcio.*

Semel igitur apud Terentium vocativus particulae *heus* praecedit; *heus heus* contra apud Plautum non invenimus.

Eho sequente vocativo occurrit nobis in versibus Plautinis his:

a) Ps. 348 *. . . .* ⁜ *Eho Pseudole, I gladium affer.*

Mn. 432 *Eho, Messenio, ad me accede huc.*

Tu. 477 *. . . . eho, Pithecium, Face ut adcumbam, accede, adiuta.*

S. 150 *Eho Crocotium, i, parasitum . . . . arcessito.*
B. 444 *Próvocatur paédagogus: 'ého, senex minumí preti, Ne attigas puerum . . . .'*
Pe. 609 *Ehodum huc virgo! vide sis quid agas.* (sic A teste Studemundo.)
Pe. 406 *Toxíle, quid agitur? 'Eho,*[1] *lutum lenónium,*
Pe. (411) *Tuas ínpuritias tránsloqui nemó potest.*
b) E. 567 *Eho istinc, Canthara, iube . . . .*
Mo. 843 *Eho, istum, puere, circumduce . . . .*
Mr. 393 *Míhi quidem edepol vísast, quom illam vídi. ⫲ Eho, an vidistí, pater?*
c) Ml. 825 *Eho tú, sceleste, qui ílli suppromú's: eho.*
Ca. II 3, 23 *Eho tu, nihili cana culex.*
B. 803 *Eho tú, ‹scelus,› loquitátusne es gnató meo . . .?*
Mr. 189 *'Eho tu, 'eho tu, quín cavisti, ne eám videret, vérbero?*

d) *Eho tu* sine substantivo legimus:
Ml. 976 *Eho tu, advenitne Ephesum mater eius?*
Tr. 55 *Eho tu, tua uxor quid agít?*
Cf. Ps. 1217, Po. 308, 313.

Quoniam *eho* item atque *o* in initio enuntiati poni exemplis demonstratur, verisimile esse videtur in Ml. v. 415 pro *Palaestrio, eho Palaestrio* scribendum esse *Palaestrio, Palaestrio.*

Terentiani versus, in quibus *eho* cum vocativo coniunctum legimus, sunt: a) And. 616, And. 748, And. 791, Heaut. 312, Phorm. 684, Hec. 719, Ad. 777, b) And. 951, Eun. 856, And. 852, c) And. 908, And. 710.
d) *Eho tu* sine substantivo:
Eun. 69, Hec. 100, Phorm. 384.
e) *Eho* vocativum sequitur:
Ad. 970.

[1] *Eho* Aldina, *OH* A, *eo* reliqui; *eho* hic praeferendum esse particulae *o*, quisquis locum legerit, concedet.

§ 6.

De vocativo cum pronomine *tu (vos)* coniuncto.

Pronomen *tu* Plautus et Terentius vocativo addunt, si personam, quam quis adloquitur maiore vi significari volunt.

Quod fieri solet, si personae, quae colloquio non intererant, appellantur, vel si personae inter se opponuntur; deinde interrogationes quoque eorum, qui admirantur aliquid vel indignantur, huc pertinent.

Collocationem si respexeris, *tu* aut vocativo praecedit ita, ut aut nulla vox intercedat aut alia vocabula interiecta sint, aut vocativum sequitur.

a) *Tu* ante vocativum ipsum stat

α) sive personae inter se opponuntur, sive personae, quae sermonis non participes fuerunt, appellantur:

1. R. 1148 *Grípe, accede huc, túa res agitur: tú, puella, istínc procul.* Mo. 397, Ci. I 1, 108, As. Prol. 4, Am. 853, cf. Al. 328, Al. 398.

2. Ter. And. 978 *Séquere hac me intus: ápud Glycerium núnc est. tu, Dave, ábi domum.* Eun. 775, Hec. 664.

β) in interrogationibus:

As. 416 *Tu, vérbero, imperiúm meum contémpsisti? ⫲ Hospes, périi.* B. 1163, Mn. 820, Cf. Ml. 494, Tu. 612; *quid ais tu* cum vocativo: B. 1155, Ps. 615, As. 104.

γ) in resalutatione:

Al. 175 . . . . ⫲ *Vale.* ⫲ *Et tu, frater;* B. 605, Ca. III 2, 11.

Vos ante vocativum ipsum habemus in versibus:

S. 775 *Vos, spéctatores, plaúdite atque ite ád vos comissátum.* Mo. 939, Mr. 865.[1]

[1] In hoc versu *vos* accusativus est. — In verbis *tu malum* ‚malum' exclamatio est („zum Teufel"), quod demonstratur iis versibus, in quibus *tu* omissum est. Conferas Cp. 529 sqq., ubi Tyndarus secum ipse loquitur:

b) *Tu* a vocativo aliis vocibus seiunctum est.

α) Personae inter se opponuntur, aut personae, quae sermonis participes non erant, appellantur:

1. B. 714 *Núnc tu abi intro, Pístoclere, ad Bácchidem atque ecfér cito.* Ci. I 1,53, Ml. 1248. Cf. Ml. 805, B. 799, Cu. 663, Mo. 742, Am. 822, Ps. 394, Po. 1380.
2. Ter. Eun. 753 *Abi tú, cistellam, Pýthias, domo éffer cum monuméntis.* Heaut. 1006, Phorm. 532, Eun. 472, 474, 1068, Hec. 560, Phorm. 173, 858.

β) In interrogationibus:

1. Mo. 69 *Quid ést, quod tu me núnc optuere, fúrcifer?* Mr. 305, Am. 284, 565, Cu. 19, Ml. 366, Mn. 284, 438, 714, Mo. 419, 593, Mr. 975, Po. 1310, R. 987, Tu. 362.
2. Ter. Eun. 86 *Quis hic lóquitur? ehem, tun híc eras, mi Phaédria?* Ad. 924.

γ) In resalutatione:

Po. 1076 *Mi pátrue, salve. # Et tú salveto, Agorástocles.* Po. 1039, Tr. 49.

δ) In initio scaenae: Al. 608, B. 577, Cu. 487, Tr. 602.

ε) Eun. 893 *In cógnoscendo túte ipse aderis, Chaérea.* And. 151.

Adde Ci. II 3,66, Cu. 715, Ml. 1074, Mn. 313, Mr. 456, Tr. 485, Ter. Eun. 717.

Quae exempla sufficiant.

c) *Tu* post vocativum collocatum est in versibus hisce:

1. Po. 1226 *Nunc, pátrue, tu frugi bonaë's. vin hánc ego adprendám? # Tene.* As. 842, Ps. 196.

Neque iám Salus serváre, si volt, mé potest; nec copiast,
Nisi si áliquam corde máchinor astútiam.
Quám, malum? quid máchiner, quid comminiscar, haéreo.

Ps. 242 . . . . ‖ *Quid, malum, tam placide is, puere?*

Am. 403 *Quid, malum, non súm ego servos Amphitruonis Sosia?*

Cf. B. 672, Am. 604.

2. Ter. Eun. 902 . . . . ‖ *Quin, Pythias,*

Tu mé servato. ‖ *Néque pol servandúm tibi.*

Eun. 1043, Heaut. 398, Ad. 901, 500, Eun. 190, Ad. 724, 175.

Disserendum est hoc loco de Ps. 218, quem versum A sic exhibet:

Ain excetra tu quae tibi amicos tot habes tam probe oleo onustos.

B C D F pro *ain* praebent *en*.

Rectissime Lorenzius et Langenus ‚Beiträge' p. 119 cum offenderent in *ain*, in textum receperunt *en* vel *em*. Quod Lorenzius *tu* post *excetra* ferri non posse putat, quia poeta *tu* ante voces contumeliosas ponere solitus sit, ei non adsentior. Cf. Pe. 270, Ca. III 5, 19.

Nec causam video, cur *excetra tu quae* usui Plautino repugnare dicamus, cum eadem constructio nobis occurrat Ca. III 5, 20, Ps. 196:

Aeschrodora, tu quae . . . . habes lenonum aemulos.

Cf. Pacuvii versum 197 (ed. Ribbeck):

Matér, te appello, tú quae curam sómno suspensám levas.

Inde patet nisi aliae rationes accedant opus non esse, librorum scripturam *excetra tu* mutare.

Po. 1414. Codices habent:

Leno, tu autem amicam mihi des facito aut auri mihi reddas minam.

Suo iure Seyffertus (Philol. vol. 29, p. 406) monuit *auri* e verborum contextu eiciendum esse, quia Lycus Antamoenidi minam argenti, non auri dat: cf. 1399, 1416. Vitium fortasse latet in verbis *leno tu autem*, quoniam ceteris locis *tu autem* vocativo praecedit: Al. 333, Ps. 209, Ps. 225, E. 280, Ter. Eun. 474, Ad. 935.

Quam ob rem nescio an *autem* in *aut* mutandum sit, quamquam *aut — aut* cum imperativo apud Plautum, ni fallor, non legi (cf. Am. 709, 740, 782, 888, As. 264, 757, 871, Al. prol. 24, 458, aliis locis saepissime).

In Mo. v. 593, cuius in A haec est forma:

Quid ais tu omnium taeterrume, in Pall. *Quid tu hominem omnium taeterrume,* Spengelius (Philol. 25, p. 171) scribendum

coniecit *o tu . . . taeterrume.* At e versibus supra allatis elucet, Plautum nusquam dicere *o tu* sequente vocativo. E coniecturis, quas omnes afferre longum est, maxime mihi Brixii arridet:
Quid aís? tu⟨n⟩ omnium hóminum ⟨homo⟩ taetérrume,
Venisti huc te extentatum?

Interrogationes *tun . . . .*? in Plauti fabulis usitatissumae sunt. De genere dicendi *hominum homo taeterrume* conferas Ad. 218, Phorm. 853.

§ 7.

De collocatione adiectivorum cum vocativo coniunctorum.

Adiectiva vocativum modo praecedunt modo sequuntur.

α) *bone vir* Ps. 1145, Ca. III 6, 9.
bona liberta Pe 798.
bona spes R. 230.
sperate Pamphile S. 583.
erilis patria B. 170, S. 650.
oculissume homo Cu. 121.
sancte Neptuni comes R. 160.
cupite atque exspectate pater Po. 1260; Mn. 1125, Al. 406, Mn. 1006, Al. 423, Al. 437, R. 543, Tu. 551, E. 333, Pe. 184, Pe. 425, Po. 798, Ps. 366, Ps. 156, Mn. 350, Ter. And. 616, 846, Eun. 850, Ad. 556, 557, Phorm. 287, And. 817, Porm. 504, And. 371, Ad. 966.

β) *Lar familiaris* Ml. 1339.
Lares viales Mr. 865.
Venus alma R. 694; Cu. 196, P. 1138, Mo. 161, Ca. IV 4, 17, R. 358, E. 539, Po. 275, Cu. 306, Al. 334, As. 627, As. 655, R. 1112, B. 1163, R. 310, R. 1175, Cu. 120, Po. 389, Po. 393, Al. 406, Ml. 1340, Mr. 830, Ps. 270, Ter. And. 338, Eun. 225, Heaut. 254, Ad. 440, Eun. 232, Eun. 709, Phorm. 411, Ad. 983, And. 401, Hec. 376, Ad. 173.

Superlativum adiectivi gradum poetae metri ratione adducti vocativo plerumque postponunt, velut

α) in exitu versus :

Po. 1127 *O mí ere, salve, o Hánno insperatíssume.* Ml. 1382 ;
cf. *homo lepidissume* Mn. 148, Ps. 323.
patrue mi patruissume Po. 1197.
ere exoptatissume Tr. 1072.

Mr. 305, Ca. II, 8, 60, Al. 745, Ps. 270, Ter. Ad. 983, Eun. 531, Eun. 239, Ad. 218.

β) in alia versus sede :

Pe. 791 *Adi sí lubet. agite adplaúdamus. Dordále, homo lepidissúme, salve.* B. 1170, Ter. Ad. 911, Al. 135 *Da mi optima femina manum.*

Sic libri ; *Da manum mi femina optuma* Goetzius.
Seyffertus collato v. Tu. 120 *Pessúma, mane.*
Optúme, odio's,
versum sic scribit : *Da mi óptuma*
Femína manum.

Recte mea quidem sententia Goetzius Am. v. 976, qui in libris talis est :

Nunc tú divine húc fac adsis, Sósia

sic scribendum proponit :

Nunc tú, divine Sósia, huc fac adsies.

Nam et hiatu post *divine* vehementer offendimur, et unum solum, ni fallor, extat exemplum adiectivi a vocativo verbo finito dirempti : Mn. 1000

Epidámnienses súbvenite cíves. quin me míttitis?

Appendix.

De vocativi apud ceteros poetas comicos tragicosque usu.

De vocativi apud ceteros poetas scaenicos usu, quantum ex fragmentis colligi potest, eaedem fere valent leges, quas in Plauti et Terentii fabulis statuimus. Quam ob rem sufficiat hoc loco nonnulla exempla afferre.

I. Ac primum quidem, si formam vocativorum respicimus, enumerandi sunt versus hi:

1. E comicorum fragmentis:

Naev. 118 *Péssimorum péssime, audax, gáneo lustro áleo!*

Caecil. Stat. 77 *Abi hínc tu, stolide: ‹vís› illi ut tibi sít pater.*

Pompon. Bonon. 108 *Mírum facies, fátue, si istud nímium mirabís diu.*

Cf. *calve* in vv. 119, 135, 137.

Turpil. 118 *Te, Apóllo sancte, fér opem teque omnípotens Neptune, ínvoco.*

Ex Pall. incertis incertorum fabulis:

18 *Quid aís, Epidice? tíbi facilior érit amor?* Cf. v. 59.

2. E tragicorum fragmentis:

Pacuv. 283 *Gnate, órdinem omnem ut déderit enodá patri.* Cf. v. 400.

Enn. 36/44 (Mueller) *Hóminem appellat: quíd lascivis, stólide? non intéllegit.*

Acc. 520 *Inclúte, parva prodíte patria.* Cf. in v. 489 *anime.*

Ex incertis incert. fabulis

XXIII *Supreme belli . . . . potens!*

Suspicionem igitur movet Acci v. 240

O Dionyse optume
Pater, vitisator, Semela genitus, eúhie!

Formam *puer* legimus in versibus his :

L. Acc. 279 . . . . *puér, ne attenderis.*

Afran. 203 *Nolo híc te videat: dóminus est: puér, facesse hinc. . . .*

Forma *puere* occurrit :

Afran. 193 *O púere, puere, síne prospicere mé mihi.*

Caecil. Stat. 100 *'Age, age i, puere, dúc me ad patrios fínes decoratum ópipare!*

II. Vocativos pronominum *mi, mea* deprehendi his locis :

1. tragicorum

Naev. 1 *Quod tú, mi gnate, quaéso ut in pectús tuum.*

Pacuv. 67 *Mi gnáte, ut verear éloqui porcét pudor.*

Enn. 45 *'Optumi virí: mea mater, tuí me miseret, meí piget.*

Cf. 402 *mea puella*, 307 *mea Fortuna.*

Pacuv. 20 *Salvéte, gemini, méa propages sánguinis!*

2) comicorum

Afran. 103 *Au mí homo! immo edepol vós supremum meúm concelebretís diem.*

Nov. 17 *Séquimini; <i tu> praé, mi nate; séquere temetí timor!*

Afran. 179 *Mea nútrix, surge sí vis profer púrpuram.*

» 310 *Nolí, mea mater, mé praesente cúm patre. . . .*

Titin. 109 *Paulá mea, amabo, pól tuam ad laudem áddito.*

Ex incertis incert. fabulis :

104 *vaé mihí, matér meá!*

III. De vocativo cum interiectione *o* coniuncto.

1. comicorum :

Caecil. Stat. 231 *O infelix, o sceleste!*

Afran. 193 *O púere, puere, síne prospicere mé mihi.*

Naev. 38 *'O pestifera pórtentifera trúx tolutiloquéntia!*

Publil. Syri sentent. 438 *O víta misero longa, felicí brevis!*

Cf. 400 *o dulce tormentum.*

2. tragicorum :

Enn. 81 *O páter, o patria, o Príami domus.*

» 57 *O lúx Troiae, germáne Hector!*

» 163 *O mágna templa caélitum conmíxta stellis spléndidis!*

Cf. 314, 347.

» 380 *'O Fides alma ápta pinnis ét ius iurandúm Iovis!*

Pacv. 177 *'O flexanima atque ómnium regína rerum orátio!*

» 360 *O pater!*

» 364 *O íngratifici Argívi, inmoenes Grái, inmemores bénefici.*

Gracchus Atal. *O gráta cardo, régium egressum índicans!*

Ex incertis incert. fabulis :

XLVIII *'O parens antíqua nostrae géntis, Argivúm decus!*

C *. . . . o domus antiqua, heu quam dispari.*

CXLVIII *Agite o pelagi cursores.*

Enn. 182 Nitere : cessas, ⟨o⟩ fide . . . ? (*o fide* Schol. Veron., omisit Festus).

Cum male tradita sint fragmenta, non satis apparet, quasnam leges hi poetae in usu particulae *o* secuti sint.

Pro Juppiter legimus

Ennius 335 *. . . . tueor té senex? pro Júppiter!*

Ex incertis i. f. CXX *Pro Juppiter.*

IV. *Salve, salvete.*

Pompon. 49 *Mi fráter, salve. ⫲ 'O soror, salvé, mea!*

Trag. Ennius 72 *Loca salvete infera*

Naevius com. 41 *Rivális, salve. ⫲ Quid 'salve'? attat áttatae!*

Afran. 20 *Sexte ⟨ó⟩ frater mi, sálve: quom salvós venis.*

Pacuvius trag. 20 *Salvéte, gemini, méa propages sánguinis!*

» 234 *Caélitum camilla, exspectate ádvenis: salve, hóspita!*

Ennius 235 *. . . . salvete, optima corpora!*

Falso, quoniam *o* post *salve* positum a scaenicorum usu abhorret, L. Muellerus 'de re metrica' p. 416 proposuit et in suam editionem recepit (fab. v. 290) *salvete, o pia pignora.*

E TYPOGRAPHIA VNIVERSITATIS I. H. ED. HEITZ (HEITZ ET MUENDEL SOCII).